

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 6: De passione domini (12)

Anselmus:

Loquens mater ad filium
quid commisisti, dulcissime puer, ut sic diiudicareris,
que occasio tui doloris,
o Ihesu amantissime iuvenis, quid commisisti ut sic tractareris,
quid scelus tuum, que noxa tua?

Ego enim sum tui doloris plaga, culpa tue occisionis,

ego tue mortis meritum, tue vindicte flagitium,
ego tue passionis labor, et tue mortis cruciatus.
O admirabilis censure conditio! O ineffabilis misterii dispositio!
Peccat iniquus, punitur iustus,

quod meretur malus, patitur bonus, et quod peccat servus,
exolvit dominus, quod committit homo, sustinet dominus deus.
Quo natura dei humilitas tua descendit,
quo benignitas condescendit, quo attingit caritas?

Ego inique egi, tu penam portasti,

ego superbivi, tu humiliaris, ego tumui, tu attenuaris,

ego gula perii, tu inedia afficeris, me ad illicita rapuit concupiscentia,
te caritas perfecta duxit ad crucem, ego sumpsi vetitum, tu sustinuisti eculeum,
ego delector cibo, tu laboras patibulo, ego fruor delitiis, tu laniaris clavis,
ego pomi dulcedinem, tu gustas amaritudinem.
Mihi ridens aplaudit Eva, tibi plorans compatitur Maria.

Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic iudicareris?

←

Quid commisisti, amantissime juvenis, ut sic tractareris.

→

Quod scelus tuum, quae noxa tua, quae causa mortis,

quae occasio tuae damnationis?

→

Ego enim sum tui plaga doloris, tuae culpa occisionis.

←

Ego tuae livor passionis, tui cruciatus labor.

Ego tuae mortis meritum, tuae vindicte flagitium.

O mirabilis censure conditio, et ineffabilis misterii dispositio!

peccat iniquus, et punitur iustus;

deliquit reus, et vapulat innocens; offendit impius, et damnatur pius;

quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus,

exsolvit dominus; quod committit homo, sustinet Deus.

Quo, Nate Dei, quo tua descendit humilitas?

quo tua flagravat charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas?

quo tuus attingit amor? quo pervenit compassio?

Ego enim inique egi, tu poena multaris;

ego facinus admisi, tu ultione plecteris; ego crimen edidi, tu torturae subjiceris;

ego superbivi, tu humiliaris; ego tumui, tu attenuaris;

ego inobediens exstiti, tu obediens Patri scelus inobedientiae luis;

ego gulae parui, tu inedia afficeris; me ad illicitam rapuit concupiscentia ardorem,

te perfecta charitas ducit ad crucem; ego praesumpsi vetitum, tu subiisti equuleum;

ego delector cibo, tu laboras in patibulo; ego fruor deliciis, tu laniaris clavis;

ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem;

mihi reo ridens congaudet Eva; tibi pie plorans compatitur Maria.

Iohannes Fiscannensis, *Orationes*, 2 (PL 158, col.861A-C).